This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



QUAENAM SIT MYTHOLOGICAE QUAM VOCANT SCIENTIAE UTILITAS?

ORATIO LATINA

CANCELLARII PRAEMIO DONATA
ET IN THEATRO SHELDONIANO RECITATA
DIE JUNII XVII^mo MDCCCLXVIII

AUCTORE
EDVARDO LEE HICKS, A.B.
COLL. CORP. CHRISTI SOC.

16

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

93. e.

Oxonii,
APUD RIVINGTON;
Londini. Cantabrigiae.
1868.

Gough Adds Oxfordsh
8° 128. (4)

CONTENTS.

PAGE

I. Introduction—Recent progress of historical research—'Sciences of Origins'—Mythological Science—its interest . . 5

II. The subject proposed, viz. to estimate the value of attempts to construct a science of mythology—our mode of proceeding . 6

III. The Historical School—in ancient times—in modern—weakness of the theory 7

IV. The Allegorical School—in ancient times—in modern—Creuzer . 10

V. Reaction from Creuzer's mysticism in Lobeck and K. O. Müller—transition to Comparative Mythology 14

VI. Comparative Mythology described—doubtful state of opinion respecting its value—has never yet been thoroughly examined . 16

VII. First objection to Comparative Mythology—it seems to make all myths to be solar 18

VIII. Further, it depends wholly on Comparative Etymology, which is an inadequate basis 20

IX. The Vedic literature is not yet fully known to us—nor would it, if it were so known, throw that light on early religion which some expect 22

X. Mythology is a subject of great difficulty for various reasons . 23

XI. The Comparative Method of enquiry is less applicable to Mythology than to Language 24

XII. The materials for comparison in the case of Mythology are too scanty 25

XIII. Summary of the argument thus far 26

XIV. The utility of Mythological Science tested from another point of view; viz. in its relation to other studies—it is an indispensable branch of historical research 27

XV. It is, in particular, necessary towards the creation of an historical science of religions—Conclusion 29

QUAENAM SIT MYTHOLOGICAE QUAM VOCANT SCIENTIAE UTILITAS?

Φιλόμυθος ὁ φιλόσοφός πως.

AR. MET. I. 2.

I. CONDITIONEM siquis scientiarum paullo attentius animadverterit, ille in nullo perinde ut in historico genere disciplinarum nostra memoria dilatatos intelliget esse fines. Ut enim ex omni rerum naturae regione nova fere quotidie in lucem reperta proferuntur, ita nulli universae doctrinae parti studiosius dat operam haec nostra aetas quam scientiarum iis, quae in humanarum rerum originibus explorandis versantur. Quid enim est tam admirabile tamque jucundum cognitu quam ad vetustissimam nostri generis antiquitatem cogitatione reverti? vel quid magnificentius quam investigare quemadmodum tanta nationum ac linguarum diversitas, tanta morum caerimoniarumque dissimilitudo evenerit; unde increbuerint tot civitatum rerumque publicarum species, unde opinionum superstitionumque infinitae varietates, unde tot artium utilium rationes; denique quemadmodum humanum genus ex pristina illa simplicitate ad hanc vitae societatem commoditatemque fuerit traductum? In quo genere disciplinarum studiis mythologicis novus honor accessit. Etenim non adeo multi sunt anni ex quo veterem mythologiam poetae tantum ad carmina

sua exornanda usurpare, philosophi pro vanis aspernari, historici dubitanter memorare, theologi odisse increduli solebant. Quodsi non deerant ii qui eruditiore manu monumenta veterum evolverent, tamen vix unus et alter, atque ii quidem ineptius, mythologiam interpretandam susceperunt. Nunc vero omnes omnium gentium fabulas diligentissime eruunt viri docti, earumque inter se similitudinem cognationemque animadvertunt, demum causas et initia magna cum laude exquirunt. Neque id pro miro habendum. Res est enim quaestionum uberrima; neque si ut ait Aristoteles admiratio scientiae est parens, quicquam ubique mirabilius sive venustatis ergo sive magnificentiae sive immanitatis inveneris. Porro etiam si reputemus quam miras vicissitudines temporum atque rerum vetus illa Graeciae mythologia experta sit, quomodo antiquarum civitatum religionis sacrorum publicaeque vitae pars maxima fuerit, ut poetis illustrissimis argumenta, ut philosophis materiam commentationum praestiterit; ut postea increbrescenti etiam Christianismo superstes recentiorum quoque nationum literis, sermoni, poesi, arti miris modis sese immiscuerit, ut demum fons perpetuus voluptatis dulcedinisque per omnem seculorum memoriam exstiterit,—quis non eandem existimarit dignissimam esse cujus origines naturamque anquiramus?

II. Quapropter quoniam multi multa hac de re nuper disseruerunt id nobis agendum est ut scientiam eam quae in mythologiae natura originibusque investigandis versatur, (Scientiam autem Mythologicam solemus appellare,) pro parte excutiamus, et quaenam ejus sit utilitas judicemus, rejectoque quod minus certe exploratum videbitur quod verum sit et fide dignum eliciamus.

At vero in ipso hujusce quaestionis limine dubitationem neque eam quidem parvam offendimus. Etenim de rebus mythológicis plurimi, utpote de re uberrima, disputaverunt, diversa investigandi ratione usi neque eundem omnes secuti finem. Unde ita factum est ut scriptorum certe mythologicorum satis magna exstet multitudo, scientiam autem

mythologicam, nempe exploratam constantemque explanationis rationem veremur ut reperiamus. Nam opportunissime ait Baconus[a] flexibilem admodum materiam esse fabularum; ita ut pro cujusque arbitrio huc illuc fingi conformarique possit: adeoque earum facilem naturam, ut alienissimam cuique sententiam lepide queas assignare. Et profecto tam variae sunt de hac re doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut vereamur ne nonnulli qui rem negligentius consideraverint, incerta vana imbecilla omnia arbitrati, veritatem omnino desperandam existiment.

Quamobrem ea videtur nobis inquirendi insistenda via, ut scientiam mythologicam non uno quasi conspectu universam simul contemplemur, sed varias doctorum virorum opiniones quam brevissime primum recenseamus, deinde de summa quaestione quid veri simillimum videatur judicemus.

III. Ordiamur igitur ab iis qui eam secuti sunt sententiam ut putent in fabulis mythologicis veritatis latere scintillas, atque ibi rerum gestarum narrationem, licet ex ornamentis poetarum vel adulatorum laudatione vel denique ipsa fingendi libidine a vero declinatam, a nobis posse reperiri. Quae quidem interpretatio et antiquissima est et apud philologos nunquam non latius valuit. Nam non modo Herodotus sed etiam Thucydides, qui princeps fuit de historia philosophantium, in hunc modum de bello Trojano disputaverunt, quasi mirifica omnia tollendo servando credibilia, veram antiquitatem restituerent. Quam opinionem suscepit Euhemerus, qui primus hac ratione explicandarum fabularum dedita opera est usus. Namque in libro suo, (cui Sacra Inscriptio[b] nomen inditum,) narravit se omni Graecia mox Mari Rubro pernavigatis ad Insulam quandam nomine Panchaeam appulisse: ibi ut in reliquis quas adiisset urbibus monumenta plurima titulosque invenisse: quibus perlectis eo esse adductum ut affirmaret omnes quos plerique deos existimarent reapse veterum civitatum reges primoresque fuisse, quos ob virtutem sive sapi-

[a] 'Sapientia Veterum,' Introduction. [b] Ἱερὰ Ἀναγραφή.

entiam sive beneficentiam, divinitate induisset venerantis posteritatis memoria. Jam tum vero labante mythorum veterum auctoritate ea fere hominum mens erat, ut quamvis ipsi Euhemero parum fidei haberetur, librum tamen plerique avidissime pervolutarent. Itaque Euhemeri (quem etiam ut ἄθεον multi objurgabant) mendacia, etsi ne apud aequales quidem pro veris accepta, tamen quam latissime pervulgabantur. Namque in Diodoro, Dionysio, Polybio, Livio, Euhemericae observamus doctrinae vestigia. Ejusdem etiam liber ab Ennio conversus Latine maximam videtur apud Romanos auctoritatem habuisse. Demum ex Euhemeri scriptis Christianae fidei defensores ad mythologiam improbandam tela sua plerumque deprompserunt. Sed eadem apud recentiores mythologos ratio praecipuum fere locum obtinuit. P. D. Huetius,[c] eruditissimus ille quidem vir parum tamen acutus, narrationes omnes mythologicas ad Sacram Historiam referendas credidit, atque universam prope modum Ethnicorum theologiam ex Moysis vel actis vel scriptis manavisse. Necnon affirmat ipsum Moysem tum a plerisque antiquorum populorum divino honore celebratum, tum apud Graios etiam eundem morem a Danao Cadmoque institutum obtinuisse, atque Apollinem, Panem, Priapum, Aesculapium, reliquos, reapse omnes unum eundemque fuisse Moysem. Docet praeterea a Romanis Moysem nominibus Fauni Silvani Jani Vertumni aliorumque appellatum cultumque, necnon 'in Laribus etiam et Penatibus Moysem latere.' Parem expromit insaniam Bryantius[d] nostras, qui fabulas omnes aut improborum esse commenta aut a Judaea originem duxisse voluit, quippe cui vita Noachae in Jani Poseidonis Promethei fabulis appareret, ipsumque Patriarchae nomen Anaxagorae Νοῦς referre videretur. Piget sane credere ita proxime a nostra memoria fuisse qui talia flagitia et conciperent animo et salva

[c] The Bishop of Avranches, editor of the 'Delphin' Classics. See his 'Demonstratio Evangelica,' Propositio iv. ch. 8, 9.

[d] Bryant's Mythology, vol. ii. p. 201 and following.

gravitate exponerent. Sed multa restant similia. Exstitit non ita pridem Banierus,[e] qui totas fere Euhemeri ineptias pro veris defenderet et denuo promulgaret. Vult enim Ganymedem a Jove ablatum, Narcissum ab Apolline interemptum, duo regios juvenes fuisse, quorum alterum a Lydiae aliquo rege abreptum, alterum casu mortuum: pro Daedali volatu velificationem navigii substituit; pro Hydra Lernea ab Hercule domita paludem siccatam; pro Jove in gigantas tonante regem seditiones compescentem; pro Atlante coelum sustinente principem astrologiae studiosum. Verum haec omnia crassiora, quorum vel ipsa mentio optima est reprehensio. Quid autem iis faciemus qui subtilius elegantiusque εὐημερίζουσιν? quorum in numerum referendi videntur viri admodum literati Rochettius[f] Clintoque[g] noster, qui ex heroicis illis narrationibus erui posse historiam crediderunt. Horum tamen opinione brevius immoramur, quoniam de hoc loco optime, sicut omnia, disputavit acutissimus historicorum Grotaeus,[h] qui ostendit fabulis nequaquam inniti oportere neque eas idoneam historico materiam praebere. 'At,' fortasse dicat aliquis, 'de eventis quae in clarissima luce eminebant multas novimus ex re ipsa commentas fabulas; sicut Cyrenaei, quorum a Thera deductam coloniam Herodotus scribit, postea fingebant Cyrenen[i] Nympham fuisse Thessalicam ab Apolline olim adamatam ab eoque in Libyam esse raptam. Atque idem porro in multis rebus factum cognovimus. Quodsi adeo notissimas res mythologicis fucatas ornamentis intelligimus, quidni de iis quae in obscuriore quasi diluculo humanae memoriae evenerint idem fere credemus accidisse?' Assentimus libenter, si ita necesse est. Quid vero sequitur? Nempe ut in nonnullis fabularum (in quibus autem incertum) lateat fortasse aliquantula veritatis scintilla. Quis tamen salva prudentia hanc vel illam fabulam delegerit, eandem-

[e] The Abbé Banier's 'Mythology and Fables of the Ancients explained from History.' Eng. Trans. London, 1739, vol. i. p. 29.

[f] Raoul Rochette, 'Histoire des Colonies Grecques.'

[g] Clinton (Fasti, etc.).

[h] Grote's Greece, vol. i. ch. 18.

[i] Pindar, Pyth. ix.

que ex re vera affirmarit esse conflatam? Nihil magis temerarium. Fieri certe potest ut pars sit vera; potest etiam ut falsa sint omnia: quis autem judicabit? Nam ut concedamus fabulae cuipiam nomina inesse locorum hominumque notissimorum, tresta tamen controversia; quum compertum sit mythorum recitatores saepius oblectationis causa nomina illustrissima in carmina sua transtulisse. Attilam[k] nempe constat in antiquo illo Germanorum epico poemate appellari, Carolique Magni nomen innumerabilibus poetarum commentis circumfusum. Itaque si de bello Trojano (in quo quid non reppererunt mythologi?) quaeratur, an re vera gestum fuerit, eodem modo respondendum judicamus. Constat saltem colonias Aeolum, Dorium, Ionum, ex continenti Graecia in Asiae oras migravisse; quos inter et indigenas exortum bellum esse veri simillimum videtur; fieri etiam potest ut Agamemnonis, Menelai, Priami, reliquorum, non omnino commenticia sint nomina. Ea autem natura rei est, ut neque affirmare quidquam tuto possis neque negare. Ceteras difficultates omittimus; neque in eo immoramur, quod vulgaria plerumque et prorsus insulsissima videantur ea quae post interpretationem Euhemericam in fabulis residua sint: ut plane sit incredibile res adeo usitatas et paene quotidianas mythologiae fingendae occasionem praebuisse. Id solum statuimus Euhemericae rationem interpretationis severiori historicorum recentium judicio minime satis fecisse, et ab doctissimo quoque esse rejectam.

IV. Quare hoc mythologorum genus relinquamus, atque illos in judicium arcessamus, qui mirabiliorem in modum narrationes fabulosas contorserunt. Nam quoniam post elapsa secula in vetere Graecia magnopere mores hominum magnopere mentes ab epica illa simplicitate distarent, quum jam curiosius naturam rerum physici hominumque mores naturamque poetae quos vocant gnomici introspicerent, deinceps ipsa Homeri immodica admiratio offensionis causam dabat, quum ille profecto spectatissimus literarum omnium doctrinae-

[k] The Etzel of the Nibelungenlied.

que auctor his novis temporibus parum consentanea exhibere videretur. Quapropter mutato ita temporum colore in Homerum acerbissime invehebantur Heraclitus[l] et Xenophanes quod impie de natura deorum disseruisset. Alii vero nolebant credere sanctissimum vatem revera id dicere voluisse, scilicet exsectum Coelum a filio Saturno, vinctumque etiam a filio Jove Saturnum. Quam impietatem ab Homero abjudicare tentabat imprimis Theagenes Rheginus, mox idem experti Anaxagoras, Metrodorus, Stesimbrotus, alii[m], qui omnes occultam ubique sententiam apud veterrima poemata odorabantur, nullaque pristinae simplicitatis habita ratione antiquissimos vates ad nova tempora accommodare studebant. Constat certe ex Platone[n] ac Xenophonte[o] hancce consuetudinem interpretandi jam ante Socratis aetatem aliquantum percrebuisse: videtur autem Platonis notissima illa fabularum Homericarum reprehensio praecipue in causa fuisse cur allegorica latius evalesceret ratio. Et primum quidem hic locus a Stoicis usurpatus mox Zenonis tum uberius Cleanthis et Chrysippi commentariis explicabatur. Ii enim, physica usi ratione, aethera esse eum quem appellarent homines Jovem, Cereremque tellurem vocari, et similia de ceteris numinibus, ad physiologiam omnia traducentes, disserebant. Deinde eadem erroris contagio ad grammaticos Homeri interpretes, Aristarchum et Cratetem eorumque discipulos manavit; cujus neque Platonici illi quos vocant Novi, Plotinus, Proclus, Porphyrius, neque grammatici Latini recentioris aevi, Fulgentius ceterique, expertes exstiterunt. Quem vero ad modum de fabulis Homericis disputare solerent Stoici, documentum insigne praestat et liber ille de Allegoriis Homericis qui Heraclidi Pontico[p] tribuitur, et disputatio de Natura Deorum a Cornuto[q] illo Persii poetae magistro Graece scripta; quam

[l] See the Fragments of Heraclitus and of Xenophanes passim.

[m] See Wolf, Proleg. xxxvi. 164, and following.

[n] Plato, Phædr. 229 E.

[o] Xenophon, Symp. iii. 6.

[p] See Schöwe's edition of Heraclides, p. 225.

[q] For Cornutus, see Gale's 'Opuscula Mythologica.'

perlegant omnino harum quaestionum studiosi. Ad summam[r] tamen, si Stoicos eorumque astipulatores exceperis, videtur apud veteres historica magis quam allegorica mythorum interpretatio evaluisse; apud recentiores autem paucos qui historiam, plures qui allegoricas nescio quas argutias ex mythologia eliciant, reperimus. Omittimus Albericum[s], Natalem Comitem[t], Dupuisium[u] atque alios, qui allegoricis ineptiis maximam operam dederunt, omittimus etiam Tollium[v], qui in libro suo mirabili deorum omnium et nomina et naturam in Chemia contineri ostendit. Sed Baconum magis admirari licet, qui omnem suam et scribendi elegantiam et ingenii leporem ad allegoricas nugas contulerit. Neque id quidem affirmari potest, pulchellum ejus de Sapientia Veterum librum animi solum voluptatisque causa conscriptum esse. Immo constat virum sapientissimum persuasum habuisse mythologiam ex veterrimo quodam tempore manavisse, quum Graecia longe ante hominum memoriam omnibus artibus uti postea nunquam floruerit; hanc vero auream aetatem diu ante natum Homerum oblivione penitus obrutam. Sed philosophi eximii dum perstringimus errores, ne ipsi culpam sed aetati ejus imputemus, gratulemurque nobis fortunam, qui saniore philosophia imprimis ab ipso instructi tales somniorum similes ineptias edormiverimus.

Restat autem ex hoc genere mythologorum unum adhuc idque insigne nomen[x], quo breviter recensendo hunc totum

[r] The history of the allegorical theory in ancient times is worthy of a more ample treatment.

[s] Albericus, 'Allegoriae Poeticae, seu de veritate ac expositione poeticarum fabularum libri quatuor.' Paris, 1520.

[t] 'Natalis Comitis Mythologiae, sive explicationum fabularum libri decem.' Venice, 1567.

[u] Dupuis, 'Origine de tous les Cultes.'

[v] Tollius, 'Fortuita Critica,' Amsterdam, 1687; see ch. v. Also Preface, where he says, 'Explico vel ostendo Deorum omnium ferme in Chemia nomenclaturam; exhibeo originem et causam attributorum et multo etiam plura tantum indico proprio ingenio enucleanda.'

[x] Creuzer. His work, the 'Symbolik,' is rendered more available by the French edition of M. Guigniaut, Paris, 1825–9.

locum absolvemus. Quando nempe quodcumque veri similiter a quolibet ἀλληγοριζόντων dictum sit, copiosissimus Creuzeri liber comprehendit, sed optime enunciatum summaque eruditione confirmatum, operae erit pretium doctissimum illum auctorem paullo impensius attendere. Atque aliquatenus saltem ejus opinio non adeo a ceterorum differt. Credit enim primas hominum religiones inde ortas quod, confuso adhuc rerum inanimarum animatarumque discrimine, quidquid in rerum natura moveri vel mutari animadverterent, id protenus humano sensu, ratione, mente praeditum existimarent. Scilicet videtur pristina generis humani aetas non multum fuisse cujusvis infantiae absimilis, atque id quod jam perfectissimo cuique poetarum aegre contingit, ut musarum aliquando afflatu instinctus se ipsum cum universa rerum natura quodammodo confundat, ut res brutas inanimasque et sentire et intelligere fingat, id ipsum tunc omnibus commune fuisse. Atqui non ex hac hominum priscorum simplicitate origines repetit fabularum. Loquitur scilicet de tempore, quo omnis rerum divinarum humanarumque scientia penes sacerdotum collegia fuerit, ceteri autem omnes erroris nebula occaecati. Itaque sacerdotes putat, quum vulgi animos ad virtutem bonasque artes hortari vellent, neque satis paratas hominum mentes ad ipsam veritatem accipiendam viderent, idcirco fabulas concinnavisse, quae et aptiores ad captandas mentes essent, et veritatis quasi thesaurum variis occultum involucris conservarent. In quibus si poetae omnes ab Homero, poetarum illo principe, pessimo theologorum, nihil praeter externum quasi corticem perspexerint, nobis scilicet vis occulta atque ipsa medulla detegendae. Quae omnia quam sint futilia neminem fallere posse credimus, qui vel primoribus labris hanc nostrae aetatis philologiam philosophiamque degustaverit. Neque enim illud quisquam objiciet, in Hesiodi Theogonia multa allegorice dici, quin etiam indigetes Italorum deos ferme omnes eodem hoc modo cognomina adeptos. Nam compertum id quidem est

partem nonnullam omnium fabularum ex allegoria constare. In eo tamen haeremus, si quis ex hoc uno fonte omnem mythologiam derivare velit. Quam sententiam Creuzerus neque satis idoneis confirmat argumentis, ideoque imprimis amplexus videtur, quia, Iamblicho ejusdemque notae auctoribus diligentius pervolutatis, serioris et jam sui paene oblitae Helladis colorem ad vetustatis simplicitatem temere traduxisset. Creuzero autem nemo jam proprias denegarit laudes, quippe qui de philologis optime meruerit. Tanta tamen studiorum mythologicorum ex ejus tempore facta est conversio, ad quam efficiendam ipsius non leve momentum fuit, ut jam satis fere tantum auctorem refellisse videamur, si libri indicem[y] dumtaxat memoraverimus. Nos enim quibus sanior historiam investigandi ratio accidit omnem istam de sacerdotum auctoritate disciplinaque quae appellatur arcani opinionem dedidicimus, neque temere de antiquissimis temporibus statuendum arbitramur. Praeterea in eo vel maxime peccare videtur Creuzerus quod omnes omnium nationum fabulas in unum tanquam acervum converrit, nulla cognatae alienaeve originis habita ratione; deinde quodcumque a quolibet grammaticorum memoratur, id nimis facili usus credulitate pro vero habet. In hoc tamen fecit optime, quod veterum populorum fabulas non ex unius dumtaxat gentis ratione explanandas, sed collatis omnibus quae lucem aliquam allaturae essent, judicarit. Quodsi paullo confusius exempla similitudinis comparavit, neque satis explorata auctorum fide, id saltem luculenter praevidit posse fieri unam quandam universarum religionum scientiam, ad quam consequendam omnes mythologorum conatus contendere deberent.

V. Post Creuzerum idem accidit quod fit saepius, ut a contraria in contrariam repente sententiam revolveretur quaestio. Duo[z] enim secuti sunt philologi, Lobeckius nempe et K. O. Muellerus, quorum ille vehementior superstitionis

[y] Viz. 'Die Symbolik.'

[z] See Ernest Rénan, 'Etudes de l'Histoire Religieuse,' p. 34 and following.

insectator, hic antiquitatis Hellenicae amantior, quam qui aequos se judices praestarent. Nam Lobeckius in illo suo Aglaophamo, quem laudare supervacaneum foret, veterum sacrorum parum idoneus est disceptator. Omnia illa involucra detrahenda de antiquorum mysteriis censet; nihil in illis miraculosum, nihil obscurum, nihil reverendum inesse credit: pleraque ridicula in illis reperit, non pauca etiam obscena. Qui vero tali cum contumacia fastidioque animi ad veterum religiones moresque inquirendos accedit, eum haud veri simile est posse verum consequi. In philologo enim spectari debet una cum argutissimo ingenii acumine conjunctam flexibilem quandam animi facilitatem, adeo ut idem vetera illa sacra simul scrutari judex simul cultor venerari videatur. Quae quidem reverentia K. O. Muellero criticorum principi non defuit; qui veteris Graeciae adeo studiosus erat ut in ejus monumentis eruendis vitam ipsam profunderet[a]. Et in eo libello[b] quem de Scientia Mythologica doctissime scripsit hac ipsa veneratione falli videtur, quia quum Creuzeri rationem synchyticam[c] (ut verbo utamur Lobeckiano) vitare vult, ipse in contrarium errorem abit, Graeciamque ex Graecia sola intelligendam existimat.

Verum in hoc rem bene perspexit Creuzerus quod mythologiam non nisi complurium gentium comparandis fabulis explicandam censuit. Jam enim ex Oriente his studiis repentina lux affulsit. Nam postquam pristinus ille Indorum sermo, quem Sanscriticum appellant, a viris doctis erutus est, et jam magis atque magis innotuit, deinde primo linguas occidentalium populorum, mox etiam religiones et sacra in promptu erat cum Indiae antiquitate comparare. Quae comparatio temere primo fieri solebat, vel minimas similitudines in re adeo obscura elaborando, discrepantias

[a] He died of a sunstroke in Greece while thus engaged.

[b] His 'Introduction to a Scientific Mythology.' English translation.

[c] Lobeck, 'Aglaophamus,' p. 1268. He means, 'Confusing one mythology with another.'

nihil morando. Paullisper vero in his disciplinis modestior sobrietas evaluit, fructusque major indies percipiebatur. Exinde scilicet quaestiones grammaticae non amplius conjecturae opinationique obnoxiae erant, sed certissimis scientiae rationibus dirigebantur. Adeoque omnibus notum est, quantos progressus haec nova grammatica fecerit, ut longiori expositioni supersedendum videatur. Quale tamen auxilium literae Sanscriticae philologicis studiis attulerint, optime apparebit siquis exempli gratia[d] conditionem Plautinorum non ita pridem poematum respexerit. Erant sane codices manu scripti non pauci, aetate autem mediocri atque omnes ejusdem ut aiunt familiae. Ex quorum discrepantia satis liquebat opus esse doctorum opera ut germana Plauti restitueretur manus, parum tamen auctoritatis prae se ferebant membranae quam ut quis ad id opus se accingeret. Post vero Ambrosiani illius palimpsesti inventionem pro tenebris lux adest, pro dubitatione fiducia. Nunc melius omnino Plautum intelligimus, propiusque ad pristinam scripturam accedimus; jam siquid in aliis codicibus confuse legitur, ex palimpsesto corrigi potest, vel ex illis ipsius palimpsesti culpas ad normam redigemus. Hujusmodi fere opem ad ceterarum linguarum scientiam ex Indiae veteribus monumentis philologi acceperunt: ceteras enim linguas Sanscritica multis modis antecedit; primum egregia Vedicorum librorum antiquitate, tum mirabili literarum praesertim consonantium numero et varietate, demum incredibili quadam rei grammaticae subtilitate, volubilitate, copia. Adeoque non solum ad rem grammaticam etymologicamque verum etiam ad disciplinas historicas literarum Indicarum contulit comparatio, ut nonnulli jam illis quasi panchresto quodam medicamento uti velle videantur, quo omnes cujusmodicumque quaestiones absolvant.

VI. Eandem igitur rationem in fabulis explanandis usurpant jam vulgo mythologi. Animadvertunt nempe quam mira

[d] This illustration I borrow from M. Bréal's Lecture, 'De la Méthode comparative appliquée à l'étude des langues.' Paris, 1865.

similitudo appareat inter nomina quorundam Graecorum Indicorumque deorum; praeterea ipsas de numinibus proditas apud utramque nationem fabulas multis modis convenire. Quam similitudinem casu accidisse nolunt credere. Porro etiam nominibus Graecorum deorum non fuisse plerumque domesticam originem, arguunt tentata ab omnibus grammaticis frustra toties etyma. Ex quo id colligunt, omnes Arianorum gentes, quae vel in Europa vel in Asia post varias migrationum vicissitudines locum sibi exquisiverunt, fabularum superstitionumque communem quasi hereditatem adiisse, quae tamen tot seculorum serie tantisque locorum intervallis omnibus modis pro cujusque gentis ingenio essent immutatae. Cui sententiae nihil obest quin aliquatenus certe adstipulemur; siquidem nemo dubitabit multa Graecorum deorum nomina, sicut Ἠώς, Ζεύς, Οὐρανός, ex Indicis facile posse explicari. Hunc igitur locum uberrime tractaverunt in primis apud Germanos Kuhnius apud nos M. Muellerus, cui quantum Anglicae debeant literae grati profiteamur. Hujus autem explicationis tanti erit exempla quaedam quam brevissime proferre. Et primum fabulas fere omnes quae apud Arianos usquam increbuerunt ad solem vel auroram credunt pertinere: heroas omnes ferme atque deos solem re vera fuisse; deas autem et virgines illas deorum heroumque amores,—

. . . . quascumque tulit formosi temporis aetas,

originem ab aurora duxisse[e]. Itaque Aphroditam spuma exortam marina lucem volunt esse matutinam efferentem se oceano; ideoque Venerem abreptum sibi Adonim lugere, quia etiam aurora maturum solis occasum queri fingatur. Neque aliter Daphnen auroram fuisse putant, quam a Phaebo cupide prosequente dilectam evanuisse, quia matutinum crepusculum sol oriens et subsequatur et dissipet. Eadem ratione pulcherrimam Cephali et Procridis fabulam interpretantur. Nempe

[e] See Mr. G. W. Cox's 'Manual of Comparative Mythology,' and Professor Max Müller's 'Essay on Comparative Mythology,' Oxford Essays, 1856.

uti sol rorem mane primo despectat, ita Cephalus Procridem prima juventute dilexit; quando autem ab omni roris stilla solis nova imago ingeminatur, ideo Procris alterum eundemque Cephalum amavisse fertur. Deinde Procris Dianae percutitur telis, quae ipsa radios referunt solis jam meridiani roremque dissipantis. Denique Cephalus conjuge a se invito interempta iter occidentem versus continuat, quia et sol ipse siccato a se rore ad oceanum festinat vespertinum. Ista ex tanto numero ad id quod agitur sufficient fortasse exempla. Atque has certe fabularum enarrationes nemo negabit pulcherrimas videri. Jucundissimae saltem sunt, dummodo verae. Neque etiam non videntur strictim certe legentibus aliquid veri similitudinis prae se ferre. Proferuntur nempe a viris doctissimis peritissimisque philologiae, tum a scientia quam de linguis appellamus praecipue pendent, qua nulla omnino disciplina nostris temporibus gratiosior. Quare si hujusmodi interpretationis simul venustatem simul verisimilitudinem consideramus, minime mirandum erit eam auctores[f] praeclarissimos testimonio suo confirmavisse. Quodsi statim specioso quodam lepore allicimur, tamen re exploratius perspecta facere non possumus quin magnopere haereamus. Itaque quum Muelleri nostri scripta magna cum voluptate evolvere soleant omnes, is tamen sententiarum plerumque status videtur esse, ut in Muelleri verba oppido pauci jurare velint, ceteri malint haesitare neque veram neque falsam ejus opinionem esse affirmare, sed tantum judicatu difficillimam. Quare quoniam hunc locum nemo quod sciamus adhuc tractaverit, libentius ideo verum maximo cum timore id nobis proponimus, ut totam hanc comparativam quam vocant enarrandarum fabularum rationem accuratius perpendamus, atque omnia quae opponi possint consideremus.

VII. Atque una certe dubitationis causa neque ea quidem levis continuo occurrit omnibus qui vel strictim Muelleri ceterorumque libros attigerunt. Namque omnes omnium fere

[f] e. g. Mommsen, 'History of Rome,' vol. i. pp. 18, 19. English translation.

gentium fabulas ab uno eodemque fonte derivatas credunt, in omnibusque aut solis aut aurorae vicissitudinem per ambages commemorari. Adeoque in hac una interpretatione adhaerent, ut licet ipsa per se jucunda sit, taedium legenti fastidiumque tandem commoveant. Perlege[g] Coxii lepidum sane libellum parum tamen credibilem: nihil in illo praeterquam solis auroraeque ortum atque obitum vel inter se amores inveneris, quae omnia si quamvis mirabilia vera tamen esse concedimus, sequitur deinde nihil fere apud pristinos Arianos praeter numen solis fuisse cultum. Si quis vero haerere se dicat quia nullius praeter solem divinitatis ratio habeatur, in hunc modum plerumque responderi soleth: 'Nihil esse causae quod admiremur; neque enim sole quidquam augustius vel magis tragicum fingi posse. Contemplemur scilicet illius quotidianam pulchritudinem atque robur; qua hilaritate ex nocturna se caligine orientem erigat: qua majestate meridianus effulgeat: quam flebile spectaculum paullatim a caelo recedentis, donec increbrescente umbra, spoliatus potentia, tandem uti devictus magno certamine bellator decedat.' Pulchre id quidem expositum, licet poeticis magis decorum fabulis quam constanti philosophorum rationi. Id vero non praetermittendum censemus quod auctor[i] minime spernendus scribit,—'solem haud quaquam eum locum inter Vedicas religiones obtinere, quem ex ipsius tanto splendore vel ex vicinarum gentium cultu exspectaturi essemus.' Quae suspicio inde maxime augetur quod de hac ipsa re mythologos inter se dissentire videmus. Namque ut apud nos Muellerus et qui eum sequuntur solis tantum atque aurorae mentionem faciunt, ita Kuhnii (ad quem in hac disciplina primas deferunt multi) alia est opinio, quippe qui illam in Vedicis carminibus invocatam Saranyu non Auroram esse velit verum nubem pro-

[g] G. W. Cox, 'A Manual of Comparative Mythology,' 1867.

[h] See Maury, 'Croyances et Légendes,' pp. 17, 50, and 'Revue des Deux Mondes,' vol. lxvi. p. 911.

[i] Wilson, 'Rig Veda,' Praef. p. xxxii. Compare also p. xxviii.

cellosam.[k] Magna hercule dissensio, et quae si non diffidere nos at certe dubitare cogat.

VIII. Atque hunc locum uberius explicaremus, nisi alii atque ii gravissimi restarent. Etenim qui hoc modo fabulas solent interpretari etymologiae fere omnino innituntur, eaque unico inquirendi instrumento utuntur. Quae autem ipsius etymologiae conditio est? Ecquis nescit, qui his studiis vel mediocriter imbutus sit, etymologiam quamvis multum post inventas Sanscriticas literas profecerit, tamen multis in rebus vacillare, longeque adhuc ab explorata veri ratione distare. Quodsi omne etymologiae genus multis laborat difficultatibus, tum praesertim in nominibus propriis monet Curtius[l] ne falsa specie illudamur. In hac enim re praecipue etymologorum opem flagitant mythologi: nulla autem in parte magis ab etymologis titubatur. Nam tria sunt plerumque quorum in vocabulis interpretandis habetur ratio, nempe sonus, vis, origo. Quorum in plerisque nominibus duo prima data sunt, et de origine sola ambigitur: in Propriis autem sonus tantum ac forma vocabuli liquet, deque vi et origine quaerendum. Unde facile intelligitur hujusmodi nominum, Localium praesertim et Mythicorum, quam difficilis sit interpretatio. Et in locorum explicandis nominibus nonnunquam praeter spem lumen adhibetur ex singulari adeo ingenio loci[m] ut statim appareat inde nomen fuisse inditum. Haec vero opportunitas datur perraro, et in plerisque locorum vocabulis mussat impotens Etymologia. Neque sane mythicorum nominum expeditior conjectura est. Nihil enim praeter ipsam vocem datum habemus; neque de vi verbi quidquam, uti saepe, cognovimus. Exemplo autem nobis Achillis nomen sit. Cujus ut vim originemque exquiramus, omnium primum aliqua de totius mythologiae natura opinio concipiatur animo necesse est. Unde vero,

[k] See Max Müller's 'Lectures on the Science of Language,' Second Series, p. 519 and following.

[l] This argument is borrowed from Curtius, Gr. Etym. pp. 111 and following.

[m] See Buttmann, 'Lexilogus,' s. v. *κητώεσσα*. *Λακεδαίμων* is probably connected with *λάκκος*.

requirit etymologorum princeps Curtius, origo petenda est mythologiae? Quisnam nobis viam demonstrabit? Utrum in iis quae per naturam fiunt, an in iis quae mentibus hominum concipiuntur, utrum in una aliqua terra an in universis naturae vicibus explorandum est: num in aurora et matutinis radiis vel in aequatis caelo montibus montiumque torrentibus rivulis deorum nomina agnoscenda, num heroum ex ipsa rerum gestarum historia an ex rebus physicis repetenda? Potest enim Ἀχιλλεύς ita fuisse dictus tanquam 'qui populum moderaretur' (Ἐχέλαος), sicut dicuntur Echedemus, Echestratus, Echepolis, βασιλεύς, Λευτυχίδης; vel tanquam 'lapides continens,' quemadmodum appellatur λεύω. Qui vero heroas et deos ex hominibus per nimiam posterorum venerationem factos putat, is priorem amplectetur interpretationem; qui ex naturae contemplatione religionem natam censet, potius flumen Achillem fuisse judicabit. Utraque autem ratio ipsius verbi formae perinde convenit. Praeterea qui mythicorum vim nominum interpretari volunt, aliis etiam modis falli, ab eodem[n] auctore monitum est—'Nempe dum Graecorum nomina deorum Indicis temere adsimulare cupiunt, saepe manifestam vocabulorum naturam videntur praetermittere. Scilicet Muellerus Ἔρωτα cum nomine quodam apud Vedicas preces comparat quo sol tanquam cursor invocatur. At qua ratione potest Ἔρως a tot cognatis vocibus ἔρος, ἔραμαι, ἐράω, ἐρατός, ἐρατεινός secerni? quae ab ipso Cupidine derivata nemo finxerit. Idem etiam de illo Charitum etymo judicandum, quas solis splendentes equas a primo fuisse Muellerus interpretatur. Quid vero de tot propinquis vocabulis χαρά, χαίρω, χαρίζομαι, χαρίεις, faciendum censet? praesertim quum Charis ex mero vocabulo personam divinam induere, perinde atque apud Homerum Ate vel Hebe, facillime potuisset.' Plura ex eodem auctore mutuari liberet; ex iis tamen quae protulimus satis constat etymologiam ad mythologiae originem naturamque explanandas, se ipsa non esse contentam.

[n] Curtius.

IX. Jam novum ingressuri locum, ut in omni hac disputatione, ita nunc praecipue doctissimorum hominum veniam obsecramus, a quibus hoc quantulumcunque edocti, ipsorum decreta, ingratum id quidem Minerval rependentes, audacius reprehendimus. Omnes profecto qui eam mythologiae rationem secuti sunt, ut collatis quam plurimarum gentium fabulis, communem aliquam eruerent originem, quum veterrima quaeque antiquitatis monumenta exquirerent, Vedicas quas vocant literas maximi omnium momenti esse judicaverunt. Exstant Vedici sane libri tanquam norma quaedam ac regula ad quam reliquae Arianorum populorum fabulae religionesque dirigantur. Quapropter nihil magis interest quam omnia Vedicorum carminum arcana accuratissima philologorum opera enarrari; quoniam si quid a vero ipsa aberret regula, nedum opus ipsum recte confici possit. Quaenam igitur conditio est disciplinarum Sanscriticarum? Primum nondum omnes Vedicos libros in recentiores linguas conversos habemus. Qua in re quanquam multum profecerunt tum Germani tum nostrates, deque eadem jam laborant grammatici, multa tamen adhuc desunt. Nam libros Vedicos, postquam temporum lapsu vis ipsa et sensus persaepe obsolevissent, novi interpretes commenticiis explanationibus solebant inquinare. Itaque post tot secula jam primum philologi id opus suscipiunt, ut rejectis omnium commentis veterrima illa monumenta ex ipsis scienter enarrent. Quodsi jam absolutum foret opus, atque omnia ante oculos paterent, nec tamen eam lucem inde sperandam opinamur quam exspectant nonnulli. Immo si duo vel tres exceperis deos, pleraque Vedicorum numinum obscura atque dubia videntur esse, quae cogitatione depingere certisque velut lineamentis et colore informare nequeamus. Nempe hoc imprimis obest quominus Vedicorum deorum probe sciamus naturam, quod nulla exstant aut pictorum aut sculptorum monumenta ex quibus scriptas deorum mentiones illustremus. Nam deorum formas imaginibus referre sanctissima religione apud Indos antiquos vetitum est; et si quid hujus modi

usquam exstiterit, saltem in tanto seculorum intervallo omne omnino periit. Verumtamen si cuncta quae nunc exstant monumenta, unde hanc nostram Hellenicae religionis consuetudinem notitiamque duximus, a primo penitus periissent, quid tandem scire potuissemus? Nos quidem opinamur plus urbium templorum domuum erutas ruinas, plus imagines gemmas ceteraque ornamenta ad intelligendas Graecorum Latinorumque literas contulisse, quam ad istorum cognitionem ipsae literae profuerunt.

X. Sed haec hactenus. Nam siquando mythologi temere incedunt non adeo increpandos putamus, quum ea rei ipsius natura sit, quae liberum conjecturae locum relinquat. Etenim veri simillime de seculorum antiquitate sentiemus, si de ea quasi de humani generis infantia cogitemus. Fingamus igitur cogitatione paullisper, si possumus, ejusmodi gentem hominum, qui omnia portentosa fingere atque audire gauderent, quibus nihil foret absurdum, nihil incredibile, qui mirabilem ingenii facilitatem, scientiam omnino nullam haberent. Qualia istorum somnia fuisse putamus, si non mythologiae similia? At nos omnia dubitanter scrutari, de omni re ratiocinari soliti, quonam modo antiquissimi aevi simplicitatem probe intelligemus; quo modo philosophiae freti rationibus velut infantium somnia enucleabimus? Porro ea mythologiae est ratio, ut aliae ex aliis saepe nascantur fabulae, confusisque nominibus rebus locis infinitus error increbrescat. Quae si ita sint, facile rei immensam difficultatem intelligimus. Ad quam explicandam rarissime accidit ut quis omnibus modis instructus paratusque accederet.[o] Est enim eruditio imprimis adhibenda insignis, et familiaris consuetudo quum aliarum literarum religionumque tum praecipue Vedicarum: accedant etiam oportet linguarum accurata scientia, necnon et maximus rerum humanorum usus. Postremo id quod difficillimum est, necesse erit ille cumulatus omni laude Mythologus simul ardore quodam poetico, simul

[o] See the remarks of Pictet, 'Les Origines Indo-Européennes,' vol. ii. p. 688.

cautione ista philosopha sit praeditus: quae quidem omnia adeo raro in uno viro concurrere solent, ut vix mirum sit ita paucos exstitisse qui rem mythologicam scienter tractarent. Nonnullos nominare possumus, Renanium, Prellerum, Welckerum, K. O. et M. Muelleros, qui si tantis ingeniis ac laboribus ita paullum profecerint, rei ipsius incredibili obscuritati acceptum referemus.

XI. Et quoniam de rei ipsius difficultate dicere instituimus, plura jam occurrunt in quibus haereamus. Nam quum Muellerus ceterique qui ab eadem sunt disciplina toti fere a linguarum comparatione pendent, eandemque fabularum quae linguarum inquisitionem arbitrantur, nobis vero mythologia et grammatica multum inter se videntur discrepare. Respiciamus enim paullisper quemadmodum linguarum mutationes fieri soleant. Neque enim certam ad norman consulto loquuntur homines; neque dedita opera hanc vocem mutilant, illam producunt, alias aliter immutant. At sponte et tanquam natura duce loquimur plerique, nulla regularum vel praeceptorum ratione habita: et tantum insita quadam vi caecoque suavitatis desiderio ad literas syllabas voces mutandas inscientes ipsi impellimur. Longe autem alia fabularum reddenda ratio. Non enim ut verbis ita fabulis quotidiano usu adeo assuescimur, ut nos ipsos etiam inter loquendum lateant, insciisque nobis ex ore excidant. Est profecto vocabulum iners quiddam atque immobile; ea autem fabularum natura, ut ipsa oblectatione animum excitent, neque ita recitari possint ut non ex recitantis vel ex audientium cogitatione novum quodammodo colorem mutuentur. Adeoque omnes semper suo quisque ex arbitrio fabulas adornare, supplere, permutare solent, ut jam proverbii locum obtineat a nullo posse fabulam narrari quin ex ipsa narratione aliquantulum permutetur. Quam vocabulorum mythorumque discrepantiam ut explicare verbis difficile, ita luculento specimine confirmare in promptu est. Nempe grammatici etiam literarum inter se permutationes (quo quid videretur incertius?) constantissimo quodam

ordine fieri ostenderunt. Quis autem normae illius Grimmianae simile aliquid in mythologia fieri dixerit, vel fabulas non ex arbitrio narrantium verum constanti certaque ratione immutari? Scilicet firmitatis aliquid in se habent vocabula, fabularum vero natura flexibilis, ipsoque mari inconstantior. Quae si ita sunt, vehementer errare isti videntur qui omnia quae in linguarum cognitione per comparationem facta sunt, perinde in fabularum explanatione eundem in modum fieri posse existimant.

XII. Notissimum enim est per eundem comparandi morem quantos nostra memoria progressus Grammaticorum, Philologorum, Anatomicorum, Physiologorum disciplinae fecerint. Cujus quidem rationis, ut de re subobscura dilucide dicatur, a philologis exemplum mutuemur. Nempe in antiquissimo illo de Bacchanalibus senatus consulto rariores verborum formas usu venire animadvertimus, senatud, ead, sententiad, et similia; quas quidem veteres sexti casus formas fuisse etiam a grammaticis cognovimus. Quaerendum vero unde *d* adjectum. Ad Sanscriticum sermonem respicimus, apud quem ablativum reperimus casum in *t* desinere, scilicet pro Latinis me-d, te-d, mat, tvat Sanscritice dici. Praeterea apud Graecos usitata illa adverbia καλῶς, κακῶς ceteraque hujusmodi nihil aliud quam reliquias sexti casus esse colligimus. Adeo ex linguarum comparatione lumen adhibetur. Sed quoniam aliae apud alias gentes formae servatae sint, necesse plane est quam plurimarum linguarum formas ante oculos habeamus, si modo satis certe hujusmodi similitudines observare volumus. Et quam ampla materia ad inquirendum suppetit philologis! Sunt enim in promptu omnium fere Arianarum gentium linguae, necnon etiam uniuscujusque linguae quot varietates, quot diversa aetate monumenta, quot dialectorum species! Sed in mythologia longe videtur secus[p]. Nationum enim sane quam paucarum fabulae exstant. Grae-

[p] This is well put by Pictet, 'Les Origines Indo-Européennes,' vol. ii. p. 688 and following.

corum quidem mythorum praesto adest uberrima copia, quum poetarum explicata libris tum opificum divina paene arte illustrata; deinde ad Germanorum exponendas fabulas patrio quodam cum amore complures philologi laboraverunt; praeterea mythologiam Scandicam lepidissime explicavit Dasentius nostras; demum Vedicarum indies clarior nobis adest cognitio. Haec vero sunt omnia vel paene omnia quae habemus: et quam multae Arianorum gentes locum ibi non habent. Nam Italorum nativas fabulas irruens Graecia omnino ferme obliteravit; et de Persarum veterum mythologia paene nihil compertum habemus. Praeterea quis de Celticarum gentium vel Lithuanorum vel Slavorum fabulis quidquam se certi intelligere affirmavit? Et tamen ex harum gentium linguis multa ac praeclara auxilia grammatici habuerunt. Quando autem in ipsa materia adeo multa desiderantur, opus jam nunc absolvendum suscipere constantemque mythologiae rationem perficiendam, res temeraria videtur. Atque in praesentiarum saltem ideo praecipue eniti debent mythologi, ut uniuscujusque gentium Arianarum fabulas et religiones summa diligentia eruant evolvantque; neque antea comparandis fabulis incumbere quam populi cujusque mythologiam, sicut linguam grammatici, explorate cognoverint.

XIII. Plura hisce argumenta subnectere in animo erat, magnus enim hic locus est, qui utpote adhuc fere intentatus integrum volumen desiderat. Ex iis tamen quae jam disputavimus satis videtur liquere, primum quam multiplici tota quaestio laboret difficultate, deinde scientiam mythologicam, nempe mythologiae interpretandae constantem perfectamque rationem vixdum praesto adesse: sed omnes qui de fabularum explanatione disseruerunt, materiam modo aliam alios ad id opus exstruendum contulisse, quod a Theagene Rhegino olim adumbratum nondum jam ad perfectionem absolutionemque pervenerit. Attamen ne allegorico quidem interpretationis generi deesse omnino credimus veritatem. Pars enim aliquanta cujusvis mythologia ex allegoria constet necesse est,

siquidem vix est dubium quin fabula illa de Cerere raptam a Plutone Proserpinam exquirente terram ipsam significet desiderare praereptam ab hieme aestatem. In ceterisque fabulis similia inveneris. Neque etiam Historicorum opinioni interpretum aliquatenus fidem habendam infitiamur. Saepius enim de rebus gestis multa incredibilia commenta esse cognovimus, qualem illam de urbis Cyrenae origine supra memoravimus fabulam. Egimus vero ut eos errare ostenderemus qui universam mythologiam ex allegoria vel ex historia fluxisse contenderent. Pleraque autem quae ab allegoricis vel ab historicis somnia proferuntur adeo inepta sunt ut vix confutentur necesse sit. Sed tertius ille interpretandi modus (comparativum dicimus) plus in se rationis habere magisque apud litteratissimos homines pollere videbatur. Quocirca huic generi maximam dedimus operam, ut hi novi interpretes in quibus haererent explicaremus, tum quidnam veri simile commentariis suis exhiberent. Et sane omnium qui mythologiam tractaverunt, hos ipsos proxime a vero abesse arbitramur; qui si nondum fugientem veritatis praedam occupaverint, jam saltem odorantur ipsisque vestigiis insequuntur. Sunt enim quaedam constantes certaeque rerum inquirendarum leges; neque omnia omnibus modis licet investigare. Nempe siderum motus conversionesque observando et computando indagamus; res autem historicas, monumenta eruendo auctores evolvendo, tum comparandis inter se gentibus, temporibus, rebus, investigamus. Hac eadem ratione utantur etiam mythologi oportet, neque ullo modo mythologiae naturam originemque praeterquam ex comparatione inveniri posse judicamus.

XIV. Jam vero primam eamque majorem nostrae disputationis partem absolvimus. Nam scientia omnis tanquam via quaedam ad veritatem consequendam videtur esse; quae utrum bona utilisque sit duplici modo quaerere licet. Primum enim de viae ipsius natura quaerendum est, an bene munita et in tuto sit, an recta ad optatum finem ferat. Deinde de ipso fine quem consequimur considerandum, an sit ipse honestus,

an utilis, an magni aestimandus. Quorum quoniam primum satis videmur explicavisse, restat ut alterum paucis consideremus. Et nos quidem Socratis minime suffragamur sententiae, qui in Platonis Phaedro ita perstringit eos qui mythologicae scientiae dant operam, tanquam 'agresti quadam utantur philosophia:'[q] hanc enim disciplinam dignissimam esse putamus quae summo doctorum virorum studio elucubretur. Quanquam ii certe falli videntur qui ex hac scientia literis et poesi Graecorum atque Romanorum magnum aliquod lumen affulsurum sperant. Istius enim mythologiae quae apud Graecos Italosque floruit longe altius videtur origo repetenda. Atque uti siquis ad fluvii caput ascendere velit urbes notae atque oppida post tergum saepe sunt relinquenda, ita qui fontem originemque fabularum exquirunt, relictis Graeciae Italiaeque literis, ad antiquiora secula eaque rudiora debent transire. Quod autem ad Graecas Italasque literas illustrandas pertinet, satis videtur intellexisse quidnam ipsi de sua mythologia veteres senserint. Ergo igitur scientia ista mythologica, quae quam sit jucunda cognitu nemo dubitabit, ceteris nihil scientiis profutura est, inutilisque ideo judicanda? Immo si nihil aliud fructus ex hac disciplina appareret praeter ipsam inquirendi voluptatem, nihilominus eam maximo opere excolendam esse judicaremus. Qui enim philosophum se esse profitetur, id est, speculatorem venatoremque naturae, is veritatem omnium primam, nulla utilitatis vel commodi spe allectus, persequi debet. Lux enim imprimis quaerenda philosopho, non fructus est.[r] Nobis vero de hac pulcherrima scientia quaerentibus longe aliter videtur. Namque his temporibus, uti diximus in prooemio, viri docti disciplinis praesertim historicis incumbunt, in quibus ut cetera omnia quae ad humani generis antiquitatem pertinent diligentissime scrutantur, ita in tam longinqua vetustate qui opinionum status fuerit quaestio videtur difficillima.

[q] Phaedr. 229 E.

[r] Bacon, Novum Organum, Bk. i. 122.

XV. Sed una praesertim res est atque ea quidem gravissima, quae sine rei mythologicae explorata cognitione nequaquam potest ipsa probe intelligi. Religionem dicimus easque omnes de deorum natura opiniones quae apud populum quemque viguerunt. Constat nempe insita quadam vi adduci homines ut deos esse credant; neque cujusquam gentis adeo inculta feritas est, ut nullam rerum divinarum habendam esse curam existimet. In hac tamen similitudine plurimum interest quales quaeque natio deos colat. Ut enim deos cuncti venerantur, ita bonos non omnes habent; neque certior ulla nota cujusque populi morum ingeniique reperiri potest, quam in deorum quos colit natura. Quod siquis tot dissimilium de divinis rebus numinibusque opinionum originem naturamque exquirere velit, mythologiae naturam necesse erit prius perspectam habeat. Religionis autem naturam operae esse pretium investigare ut per se perspicuum est, ita vel inde colligi potest, si reputemus in maximo quoque tempore humani generis quem locum religio tenuerit. Haec autem universarum religionum scientia qualis futura esse videatur, vix adumbrari adhuc nedum certis lineamentis describi potest, utpote quam vix unus et alter attingere conatus sit. Hoc tantum statuimus rem ipsam maximi esse momenti, tum non sine scientia mythologica explicari posse.

Haec in loco uberrimo satis fortasse erit indicavisse. Atque utinam inventio veri tam facilis esset quam erroris animadversio! Nos autem, quibus id imprimis propositum est ut aliorum opiniones perpenderemus, jam bonum faustumque iis eventum imprecemur qui ad Scientiam efficiendam Mythologicam opportunissima diligentia elaborant.

OXFORD:

BY T. COMBE, M.A., E. B. GARDNER, E. P. HALL, AND H. LATHAM, M.A.,

PRINTERS TO THE UNIVERSITY.